

*actuositatem cogitandi*, id est perenniter cogitare, *involuere vim cogitandi*; nec disputatur, an certo sensu *vis substantialis* possit admitti; sed an *vis* quædam sit ipsa *substantia*? Nego, eam sine subiecto posse existere. Nego etiam, *vim & potentiam cogitandi* posse esse sine subiecto; subiectum siue essentiam mentis pono *cogitationem perenniter existentem, abstracte ab omni modificatione consideratam*. Sed Cl. Engelhard putat, de hac meliore iure quæri posse, *cuinam subiecto insit, cum abstracta non existant nisi in suis subiectis*: respondeo, *cogitationem* perenniter existentem esse *subiectum fixum & permanens*, ipsam mentem, *siue substantiam* cogitantem, modo cum hoc, modo cum alio modo cogitandi existentem, & præditam vi cogitandi; & non posse esse aliud subiectum non cogitans, & *vi cogitandi* præditum; quod non cogitat, subiectum non cogitans non habet vim vel vnam cogitationem producendi. Quod quis non habet, id alteri dare non potest. Sed imperite vel incogitanter Vir Cl. addit, *cum abstracta non existant nisi in suis subiectis*; id enim dici debet de *accidentibus*, siue *modis*: sed heic sermo est de *cogitandi actuositate*, siue potius de perenni & permanente *cogitatione*, abstracte a modificationibus considerata; quod est ipsum subiectum, ipsa mentis essentia: vti cuiusvis rei essentia opponitur *modis & accidentibus*; adeoque semper ab iis *abstracte* debet spectari, & necessario esse quid *abstractum*; licet non ita abstracte existat, nec existere queat. Rogarem Virum Cl. vt legat præter obscura & intricata philosophemata illustris Leibnizii & sequacium etiam nostra clara & euidencia; & quam maxime celeberrimi Halensis Theologi, IOACHIMI LANGII, *Anti-Wolfiana* scripta, speciatim *Anatomen seu ideam Syst. Metaph. Wolfii*; nec non aliorum, & si placet, mea quoque scripta. *Lucem & euidenciam*, si recte & diligenter legat, ibi reperiet & animaduertet.

XXXIV. Quod autem attinet ad Cl. Engelhard definitionem *substantie*, secundum Cl. Leibnizium datam, scil. quod sit *ens separatim ab omni alio existens*; siue in quo *unum aliquod indiuiduum in-vo uitur*; ea supponit τὸ κριτικόν, atque adeo est *petitio principii*. Scilicet, quod *substantia* debeat esse quid *simplex*, & *unum indiuisibile indiuiduum*, quod *separatim ab omni alia re siue substantia creata* (*independenter de substantiis creatis conceditur*;) *existit*; cum tamen supra sit ostensum, omnes res, quæ subiiciuntur pluribus